

Serie Generale 320

Renatus Biragus, consiliarius et magister requestarum domini nostri regis citra montes primusque preses in eius suprema parlamenti cismontani Taurini sedenti curie ac custos sigilli per preceptum dominum nostrum regem in eius cancellaria cismontana ordinati. Universis facimus manifestum quod nos per unum ex notariis et secretariis regis in dicta curia et cancellaria subsignatum teneri, videri, legi et palpari fecimus originale unius instrumenti transactionis in membrana descripti, rogati sub die vigesima nona octobris, anni millesimi ducentesimi octuagesimi quinti et per Matheum Lafranchum subsignati inferius per tenorem insertum non vitiatum, non abolitum, non cancellatum nec in aliqua eius parte suspectum, sed omni prorsus vitio et suspicione carens, cuiusquidem instrumenti tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis. Anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, inductione decima tertia, die lune vicesima nona, mensis octobris. Actum in finibus Caburreti de subter Caburretum in campis, interfuerunt vocati et rogati dominus Paganus de Submacho iudex civitatis Taurini, dominus Iohannes de Alavardo iudex loci Montis Calerii, dominus Uricus de Ripalta, castellanus dicti loci, dominus Franciscus de Brenitio, dominus Valfredus de Ruvigliasco, hiis presentibus. De predictis precepta sunt fieri plura publica instrumenta eiusdem tenoris michi Matheo Lafranco notario et Fredericho Lurie notario de Taurino. Cum quam plurime questiones verterentur, verti experarentur inter Petrum Barachum civem Taurini, sindicum civitatis et universitatis Taurini pro dicta universitate et pro quibusdam singularibus personis de dicta universitate, pro quibus nomine dicte universitatis constituit facturum et curaturum pro dicta universitate quod predicte singulares persone attendent et observabunt quicquid dictum, pronunciatum fuerit super questionibus infrascriptis per infrascriptos arbitratores ex una parte, et Guillermum Longum de Monte Calerio sindicum universitatis Montis Calerii pro dicta universitate et pro quibusdam singularibus personis de dicta universitate constituit se facturum et curaturum pro dicta universitate que predicte singulares persone attendent et observabunt quicquid dictum vel pronunciatum fuerit super questionibus infrascriptis per infrascriptos arbitratores ex alia. Que questiones tales erant: petebat namque dictus sindicus Petrus Barachus, nomine universitatis Taurini, et dicebat quod fines Doaxii ultra Padum vivum debebant esse universitatis Taurini et de finibus dictae universitatis et quod predicti fines ultra Padum vivum durabant et se extendebant usque ad pontem Montis Calerii edificatum supra Padum vivum et usque ad rivum Gambererium et quod dicta universitas Montis Calerii impediebat quod mercandie non ducerentur per fines Montis Calerii et per predictos fines apud Thaurinum et quod illi de Monte Calerio, qui habent possessiones aliquas in finibus Doaxii ultra pontem Montis Calerii, quantum de ipsis possessionibus et de goldiis (sic) et fructibus exeuntibus de dictis possessionibus, quantum ad taleas et fodra et camperiam et omnia alia que continentur in iurisdictione mixto et mero imperio, subesse debebant iurisdictioni universitatis Taurini et quod quedam quam plurime persone universitatis Taurini asserebant quod quedam persone de universitate Montis Calerii ceperant de possessionibus ipsarum in finibus Doaxii et alie quam plures questiones. Et contrario dicebat dominus Guillelmus Lungus sindicus universitatis Montis Calerii nomine ipsius universitatis et nomine quarundam singularium personarum de dicta universitate, predicta narrata per sindicum Taurini vera non esse; et etiam plus asserebat quod fines Doaxii existentes ultra Padum vivum durabant usque ad Sanctum Gosmarium ex parte Taurini; et quod predictos fines possiderat longo et longissimo tempore et etiam tanto tempore quod non extat memoria et quod ipsi fines erant universitatis Montis Calerii et alie quamplures questiones. Tandem dicti sindici nominibus supradictis, volentes de predictis ad concordiam pervenire, compromiserunt sese ad invicem in nobilem virum dominum Iblonem vicecomitem Valis Auste et vicarium Pedemontis et in dominos Iohannem Pogium, Bertolonus Malamenam, cives Taurini, Nicolinum Duchum, Petrum Castagnum, burgenses Montis Calerii tamque in communes amicos arbitratores seu amicabiles compositores, tali modo quod supradicti arbitratores omnes in concordia vel maior pars ipsorum super supradictis questionibus vel super qualibet ipsarum vel super aliis questionibus que sunt vel esse possent qualibet de causa inter supradictas partes dictis nominibus possint ad eorum liberam voluntatem iuris, ordine servato vel non servato, in scriptis vel sine scriptis, citatis partibus vel non citatis, presente una et altera absente vel ambabus absentibus et quocumque loco dicere, diffinire, arbitrari ac etiam die feriata vel non feriata laudare semel et pluries dictum eorum corrigere sine dicta emedare et interpretari prout eis videbitur faciendum, promittentes supradicti sindici, eorum nomine et nomine dicaturm universitatum et sub pena librarum centum viannensium et sub obligatione bonorum dictarum universitatum, stipulata pena et promissa a parte parti solemni stipulacione intervenientes attendere et observare quicquid dictum, arbitratum vel ordinatum

fuerit semel et pluries prout superius est notatum per supradictos arbitratores vel per maiorem partem ipsorum; que pena tociens comittatur quociens contrafactum esset per aliquam partium, rato semper manente pacto et pronunciato, et pena comissa semel et pluries petita vel non petita, exacta vel non exacta, remaneat semper ut supra. Que pena vel pene commissa vel comisso sit medietas partis observantis et alia comitum de Sabaudia qui pro temporibus essent et cetera. Eodem anno, indizione et die, presentibus dictis testibus. Cum quamplurime questiones verterentur vel verti sperarentur inter Petrum Barachum, civem Taurini sindicum universitatis Taurini, nomine ipsius universitatis Taurini ex una parte, et Guillermum Lungum de Monte Calerio sindicum universitatis Montis Calerii nomine ipsius universitatis Montis Calerii ex alia, de quibus sindicatibus constat per publica instrumenta facta per Fredericum Luriam notarium secundum instrumentum sindicatus Petri Barachii anno currente millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, die iovis decimanona mensis aprilis, inditione decimatertia; instrumentum Guillelmi Lungi dicti factum fuit per Matheum Piperarium notarium millesimo ducentesimo octuagesimo quinto, die decimasexta mensis iulii, inditione decimatertia. Que questiones tales erant: petebat namque dictus sindicus Taurini et asserebat nomine dicte universitatis Taurini quod fines Doaxii erant et esse debebant in fines et de finibus dicte universitatis quos fines dicebat dictus sindicus, predicto nomine, durare debere et se extendere usque ad pontem Montis Calerii citra Padum usque ad aquam que vocatur Sangonum et usque ad rivum Gambererium. Et contrario dicebat dictus sindicus Montis Calerii, nomine ipsius universitatis predicta vera non esse; imo dicebat, asserebat predicto nomine fines Doaxii esse de finibus Montis Calerii, tam citra Sangonum quam ultra, et longo tempore et longissimo tempore possedisse et alie quam plures questiones tam occasione finium dictarum quam aliarum occasione de quibus omnibus superius nominatis. Et de aliis que predicta occaxione vel occasionibus aliquibus aliis sunt vel esse possent inter predictas partes compromiserunt sese ad invicem in nobilem virum dominum Iblonum vicecomitem Vallis Auguste et vicarium Pedemontis et in nobilem dominum Iohannem Pogium, iuris peritum, Bertolonus Malamenam, cives Taurini et dominum Nicolinum Duchum, iuris peritum, Petrum Castagnum de Monte Calerio tanquam in arbitros et arbitratores et amicabiles compositores, de quorum compromisso constat per publica instrumenta facta eodem die per Fredericum Luriam, notarium curie Taurini, et per Matheum Laffranchum, notarium de Monte Calerio. Qui predicti arbitratores, existentes omnes in concordia una vel maior pars ipsorum presentes, visis et auditis et intellectis rationibus, defensionibus, probationibus, allegationibus utriusque partis et habita super his diligenter examinatione et tractatu, habito consilio proborum virorum in hac parte consultorum, volentes predictas questiones de plano sine strepitu iudicario sopire et determinare pro bono pacis, concordie, ne de cetero occasionibus predictis posset inter dictas partes contentio aliqua exoriri, dixerunt et pronunciaverunt et arbitrati fuerunt: in primis quod fines predicti Doaxii sint et esse debeant de finibus universitatis Taurini usque in medium aque Sangoni sicut aqua labitur et destendit in Padum vivum ex parte Taurini; ultra vero medietatem dicte aque dicti Sangoni ex parte illorum de Monte Calerio sint et esse debeant predicti fines Doaxi universitatis Montis Calerii ex parte sua. Item quod de possessionibus omnibus quas habent illi de Monte Calerio infra fines universitatis Taurini debeant et teneantur solvere et solvant taleas et fodra in Monte Calerio; eodem modo illi de Taurino de possessionibus quas habent in finibus Montis Calerii, in Taurino et non in Monte Calerio. Et si contingeret quod sindicus universitatis Taurini, nomine dict universitatis, requirere vellet universitatem Montis Calerii, quod ipsa universitas cederet iura que habet vel habere posset in possessionibus illorum de Taurino, sitis in territorio Montis Calerii, occasione alicuius talee vel fodri teneatur illud facere; eodem modo universitas Taurini facere, si requisita fuerit per universitatem Montis Calerii, salvis possessionibus omnibus de quibus actenus solvi consuetum est in Taurino et in Monte Calerio. Item quod illi de Monte Calerio, qui habent possessiones alias infra fines civitatis Taurini, possint, si voluerint, ponere unum custodem vel plures qui custodiant possessiones de Monte Calerio, qui iurent in manibus iudicis Taurini acensare bona fide et accusationes facere in Taurino; et illud idem facere possint illi de Taurino, qui habent possessiones alias in finibus Montis Calerii, salvis campariis generalibus. Item quod si aliqua persone de Taurino vel universitate Taurini voluerint dicere quod habent aliquod ius in possessionibus quas habent illi de Monte Calerio in finibus qui dicuntur Doaxii ex parte Taurini usque Sangonum, debeant dominus Ruffinus Borgisius et dominus Nicolinus Duchus de Monte Calerio audire et diffinire sine data et aliquo extremitate iudicario de plano. Et dictum officium durare debeat usque ad unum annum et si concordare non possent vel nollent, predicta referantur vicario Pedemontis, qui pro temporibus esset, qui predicta diffiniat vel aliis diffiniendo comittat. Et si infra dictum annum illi de Taurino vel universitas de Taurino non moverit questiones vel negligentes fuerint in non petendo eorum iure, si quod putatur habere

in possessionibus quas tenent illi de Monte Calerio in finibus Doaxii, usque Sangonum ex parte Taurini, ultra predictum tempus non possint aliquas questiones movere illis de Monte Calerio usque ad quinquennium; quod quinquennium incipiat demum et elapo predicto anno; et ex inde non ostantibus aliquibus ordinamentis universitatis Taurini ius commune servetur. Item quod illi de Monte Calerio possint ad eorum liberam voluntatem omnes fructus et goldias, quos vel quas habuerint in possessionibus suis existentibus in finibus Taurini durare, et portare apud Montem Calerium sine impedimento et contradictione universitatis; et illud idem possint facere illi de Taurino de fructibus et goldiis quos et quas habuerint in eorum possessionibus sitis in finibus Montis Calerii. Item quod illi de Monte Calerio possint in finibus ex parte Taurini ultra aquam Sangoni in finibus Doaxii pasturare tantum cum bestiis quas ducerent ad campum causa laborandi et in eorum propriis possessionibus ad eorum liberam voluntatem cum quibuscumque bestiis sine damno aliquo, et si portarent fimum vel ducerent bladum vel fenum possint ibidem ubique sine damno pasturare; et illud idem possint facere illi de Taurino, in finibus Montis Calerii ultra aquam Sangoni. Item quod licitum sit cuilibet persone que velit ducere mercandiam aliquam per fines Montis Calerii extra Montem Calerium intram terram muratam apud Taurinum possint eam ducere et portare sine impedimento universitatis Montis Calerii, solvendo pedagia consueta. Item quod omnes persone que ducere voluerint et portare mercandiam aliquam apud Montem Calerium per fines civitatis Taurini extra terram muratam possint facere sine impedimento universitatis Taurini. Et quod illi de Monte Calerio possint ad eorum liberam voluntatem ducere et portare mercandiam per fines civitatis Taurini, solvendo pedagia consueta extra civitatem muratam sine impedimento dicte universitatis. Et illud idem possint facere illi de Taurino per fines Montis Calerii. Item quod universitas et quilibet de Taurino possit sive possint capere pedagium ultramontanum in omnibus locis et ubique in quibus actenus capere consueverunt non obstantibus supra pronunciatis. Item quod illi de Monte Calerio de possessionibus quas habent in finibus Taurini solvant campariis Taurini, tantum quantum solvunt illi de Taurino et non plus; et illi de Taurino campariis de Monte Calerio tantum quantum solvunt illi de Monte Calerio de possessionibus quas habent in finibus Montis Calerii. Predicta omnia pronunciaverunt et arbitrati fuerunt arbitratores predicti, salvo omnium iure dominorum, si quod habent in predictis.

Ego Matheus Lafrachus notarius rogatus sic scripsi; et quia facta debita collatione per dictum notarium et secretarium regium subscriptum de presenti transumpto ad originale predictum utriusque exemplum scilicet et exemplar invicem concordare compertum fuit, salvo in verbis superius in albo dimissis in ultima linea dicti originalis, videlicet subscriptionis notarii, que verba ob vetustatem scripture non potuerint legi, tamen in ceteris nil addito, dempto (sic) vel mutato quod facti substantiam in aliquo variet. Ideo huiusmodi transumpto tantam fidem in iuditio et extra adhibendam fore decernimus quantum proprio originali predicto has quas per notarium et secretarium regium predictum signari et sigillo regio predicto roborari fecemus et iussimus, agentibus pro dicta communitate Montis Calerii eas requirenti, in premissorum testimonium concedentes. Datas Taurini, die decimatertia mensis novembris, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto.

Per dominum custodem sigilli Bubring.

(S. P.)